



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Reginonis Abbatis Prumiensis Libri Duo De Ecclesiasticis Disciplinis & religione Christiana

Regino <Prumiensis>

Parisiis, 1671

16. De parrœchiis.

urn:nbn:de:hbz:466:1-14622

vimus in margine. Sed integer locus sic restituendus est ex libris Capitularium, tum editis, tum manu scriptis. Ne verò &c. & eo tempore suum ministerium, in quantum facultas dabatur, exequi quo eorum profectio, quantum in illis erat, his quibus prodesse possunt & debent, non sit importuna vel onerosa.

De immunitate Ecclesiarum. *Ex eodem Capitulari tit. CIII.*

XIV. Denuntiandum est omnibus, & à Missis nostris ordinandum, ut omnes Ecclesię & Presbyteri sub immunitate & privilegio & ordinatione atque dispositione Episcoporum singularum parræchiarum, in quibus consistunt, secundum auctoritatem canonicam permaneant.

Capitula Karoli Calvi tit. 9. c. 4.

Quòd omnes basilicę in potestate Episcoporum sunt. *Ex Concilio Aurelianensi tit. XIII.*

XV. Omnes basilicę quę per diversa loca constructę sunt vel cotidie construuntur, placuit secundum priorum canonum regulam ut in ejus Episcopi, in cujus territorio positę sunt, potestate consistant.

Concil. Aurel. 1. c. 17. Burchard. lib. 3. c. 8.

De parræchiis. *Ex Concilio Chalcedonensi tit. XIX.*

XVI. Singularum Ecclesiarum rusticas parræchias vel possessiones manere inconculsas illis Episcopis qui eas retinere noscuntur, & maximè si per tricennium eas absque vi ob-

Concil. Chalced. c. 17. Burchard. lib. 3. c. 148.

38 R E G I N O N I S L I B. I.
tinentes sub dispensatione rexerunt. Quòd si
intra tricennium facta fuerit de his vel fiat al-
tercatio, licere eis qui se laesos asserunt apud
sanctam synodum provinciæ certare.

Quales ministros Episcopi in civitatibus
suis relinquere debeant. *Ex Capitulis
Karoli junioris tit. v.*

Capitula Kar-
lomanii tit. 2.
c. 7.

XVII. Et quoniam Episcopi, qui nostris &
suis communibus Ecclesiæ & totius regni ne-
cessitatibus occupati sunt, non valent cuncta
soli prospicere quæ infra fines parrocchiæ il-
lorum perpetrantur, statuimus ut quotiens-
cunque Episcopi à propria civitate digrediun-
tur, tales adjutores unusquisque in sua civitate
relinquat qui hæc omnia prudentissimè in sua
civitate peragant, ut pauperes sanguine Chri-
sti redempti semper in civitate præsentem in-
veniant à quo responsum & consolationem
accipiant. In vicis autem & villulis longè à ci-
vitate remotis constituat unusquisque Episco-
pus reverendos & cautos atque omni pruden-
tia morum temperatos Presbyteros, qui sua
vice superiùs statuta modestè perficiant, & ad
quos alij Presbyteri juniores & minùs cauti
suam causam referant.

De tricennali præscriptione. *Ex epistola
Gelasij Pape.*

Gelas. 1. epist.
10. c. 1.
Lib. 7. Capitu-
lar. c. 175.
Burchard. lib.
3. c. 149.

XVIII. Illud etiam annexi placuit, ut si
qui, quod absit, facultates Ecclesiæ necnon
& dioceses ab aliis, à quibus possidentur, Epif-
copis jure sibi vindicent, quod tricennalis lex
conclusit, quia & filiorum nostrorum Prin-